

LECTIO TERTIA

Super Magistri litera, vbi inuestigat. An sacramenta legalia contulerint gratiam? Et inter illa. An circumcisio, cum fuerit precipuum Sacramentum à Deo institutum?

In qua videbimus mentem Ioannis Carmelita, qui tenet, quod circumcisio non contulerit gratiam. Hinc ponam conclusiohem, probationem, & examen.

Aug. Pl. 73.

Gal. 4.

Gal. 2.

Ioan. 1.

Rom. 3.

Isai. 1.

Act. 15.

Opus duplex.

Circumcisio-

nem confert

gratiam.

Bach. Dist. 2.

q. 2. ar. 4.

Gen. 3.

Gen. 12.

Gal. 3.

Roma. 4.

Ill. D. Ioan.

Paulus Sap.

banti.

Aug. Pl. 73. tenet. & cum eo omnes Theologi, quod nullam gratiam conferebant. Dicebat August. in Pl. 73. Sacramenta legalia, quæ erant sacrificia, oblationes, & similia promittebant tantum, & significabant salutem, sed non dabant, sacramenta vero evangelica significant, promittunt, & dant gratiam iustificantem.

Hoc manifestatur ex Paulo ad Gal. 4. dicente. Converterimini iterum ad infirma, & egena elementa. Dicit Glossa per infirma elementa intelligimus legem, quæ non poterat iustificare, sed vt infirmus medicina indiget, sic lex gratia indigebat.

Hinc Paulus Gal. 2. dicebat. Si ex lege est iustitia, igitur Christus gratis mortuus est. Sed Christi mors omnem attulit salutem: Igitur lex, nec sacramenta legalia conferebant gratiam.

Ad astruit Ioan. 1. Inquiens. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: si gratia per Christum igitur non per sacramenta legis veteris.

Idem Glossa Roma. 3. Ex operibus legis, opera legis nunquam potuerunt iustificare. Idem Isaias 1. Sanguinem hircorum nolui. Glossa inquit, quod Deus Iudeorum sacrificia nunquam amavit, dico quo ad colationem gratiæ.

Idem Petrus intellexit, quando legem onus vocavit. Actum 15. Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt. Cur onus? nisi quia carebat gratia. Idcirco Christus, qui contulit gratiam sacramentis vocavit Evangelium suum suave, & leue, dicens. Iugum in meum suave est, & onus meum leue.

Idem additur, quod in sacramentis legalibus erant duo precipua.

Alterum erat opus operans, } Opus operans erat fides, & charitas venturi Messie, & ex his iustificatio fiebat.

Alterum opus operatum. } Opus operatum erat aspersio aquæ, sacrificia, oblationes, & baptis-

Dubium tamen maximum oritur de Circumcisione. An potuerit conferre gratiam, & iustificare hominem? Huic quaesito respondit Doctor Bachonius, in lib. 4. sen. dist. 2. quaest. 1. art. 4. quod nullo modo Circumcisio poterat iustificare. Ratio est in promptu. Circumcisio non conferebat gratiam: Igitur non dabat iustificationem. Probat multis modis, & primo Augustini, & Pauli dictis, & rationibus.

Prima Ratio. Ante Circumcisionem homines Deo erant grati, & accepti: Igitur circumcisio gratiam non attulit hominibus. Pater assumptum ex Diuo August. Promissus. n. erat generalis promissioe Christus, qui debet saluare mundum gratia, & sacramentis: simplices credentes promissionem, & in promissione adherentes Messie venturo, & pasturo, saluati sunt. De promissione habetur Gen. 3. dum inquit. Ponam inimicitias inter te, & inter mulierem, & inter semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum: semen est Christus: Christus contriuit caput Diaboli, quando deleuit peccatum.

At non deleuit nisi per gratiam. Igitur non in Circumcisione.

Ideo sicuti simplices in Ecclesia per fidem Christi saluantur: sic Iudeorum populi.

Pater Gen. 12. Dixit Deus Abraham. In semine tuo benedicentur omnes generationes terræ. Dicit Paulus. Gal. 3. Cui vltus est Deus singulari nomine in semine? Cur non dixit in seminibus? R. quoniam per semen intelligitur Christus qui gratiam attulit. At cur non dixit in Circumcisione? R. quoniam Circumcisio non habebat gratiam.

Idem asseritur Roma. 4. & Gal. 3. Nam inquit. Credidit Deo Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam. Non dixit verbum de circumcissione. Ratio, quia sua doctrina fundata fuit in fide Patriarche, & non in circumcissione: Ideo semper fides fundamentum erit.

Ideo obseruandum est illud argumentum à Paulo Roma. 4. Productum vbi dicit, quod circumcisio fuit signaculum iustitiæ fidei: Quid per signaculum intelligimus? Nisi fidem perfectam Abraham in Messia. Quis potest affirmare Regem Philippum dedisse nobili Io. Paulo Saybanti, torquem, si antea fidem, & obseruantiam prius non præcessissent? Nullus. Nam torques signum est fidei, & amoris Ioannis Pauli Alustris, sic Circumcisio fuit signum declarationum fidei, & spei Abraham, quam de Deo, & de Messia tenebat.

Ratio totum explicat. Qui manent in seruitute, & captiuitate disciplinæ non habent gratiam Regis: cum gratia sit libertas: At in lege, & circumcissione omnes erant sub iugo seruitutis: Igitur gratiam non habebant.

Ideo Apost. Galat. 3. scripsit. Lex pædagogus erat in Christo. Igitur si Pædagogus lex erat, tollēbatur libertas: ergo & gratia tollebatur.

Apparet in filiis Abraham. Abraham duos habuit filios: alterum ex Ancilla: alterum ex uxore. Ancilla seruata erat, & seruum genuit Ismaelem: Sarai libera, & liberum produxit Isaac. Hinc eiecta fuit ancilla, & filius eius, ne sit hæres cum libera.

Quid Ancilla? Quid Ismael filius? R. q. Ancilla significat legem, & sacramenta legalia, eiectur de Domo Abraham, quoniam adueniente Isaac, & Sarai, id est Christo, & gratia cum Evangelio cessat lex: cessant sacramenta legalia: Ismael, & Ancilla possunt esse heredes: quoniam non habent legitimationem, sed sunt personæ spuræ: sic